186
~~105~~

Carolo Morgenstern
Viro Amplissimo atque Celeberrimo
S. P. D.
Gabriel Palander

Accepi jam dudum litteras Tuas, Vir Amplissime,
datas d. XI Mart. v. st. cum adjunctis XI Exem-
plaribus tertii ejusdemque ultimi Tomi Symbola-
rum Dorpatensium partis prioris, nec non
quibusdam Prolusionis, qua criticam enumerationem
nummorum familiarum Romanarum &c. ex-

usus es: pro quo dono nostro et ceterorum nomi-
ne gratias Tibi, Vir Humanissime, ago debitis-
simas, sperans insimul fore, ut longam responsi
moram, cujus haud leves erant causæ, mihi facile
condones. Suavissimi, quod Te nuper contractæ signi-
ficare mihimet dignatus es, matrimonii perennitatem et
delicias ex candidissimo gratulabundo mentis affectu
Tibi exopto atque adprecor. Pretium Tibi debitum pro
Exemplaribus XI Symbolar. Dorpatt. CX Rubl. papyr.
adjungi curavi. Vale, Vir Amplissime idemque
Humanissime, atque benevolum Tuum in memet
animum, cujus perennia tot jam jam expertus indi-
cia, studiosissimo Tui conserva. Dab. Aboæ die
XI Julii n. st. aº 1818.